FRID. VLRICI PESTELII ... PROGRAMMA DE CAUSIS EXITUS FELICIS BELLI...

Friedrich Ulrich Pestel, Johann Heinrich Friedrich Steuber, ...

Digitized by Google

Digitized by Google

E*ſt DEVS in nobis, et ſunt commercia coeli!* vnusquisque, tam in excelſo viuens Rex, quam infimae ſortis homuncio, qui nimia propriarnm virium fiducia, vel prauo peruerſarum cupiditatum adpetitu, non prorſus eſt excoecatus, vel toto pectore exclamat, vel tandem aliquando, vt ingeminet, ipſa efflagitabit neceſſitas. Eſt etenim exploſa dudum, et riſu, non adſenſu, digna ſapientioribus viſa, *Epicuri* ſententia; Deum in intermundiis rerum ſuarum ſatagere, nolleque ſuum, cura rerum humanarum, turbari otium. Quin et addictorum *Stoae* philoſophorum, adeo ineluctabili fato omnes euentus obnoxios eſſe credentium, vt hunc nexum, ſeriemque cauſarum, nec ipſe Deus mutare queat, quisque, paradoxis opinionibus parum delectatus, faſtidiet moroſophiam. Neque etiam facile *Stagiritae*, Deum aurigae, currui inſidenti, ac patienti, inter ſtertendum in vtramuis aurem, currere equos, quorſum luberet, adſimilantis, ſequetur caſtra. Quin

Digitized by Google

potius vnusquisque ſaniora principia ſecutus, id rei veritati dabit: quod illud ens perfectiſſimum, ſummumque, quod omnia ex nihilo produxit, et in hunc vsque diem ſapienter conſeruat, procul omni dubio omnia et ſingula prouideat phaenomena, quae in *macrocoſmo et microcoſmo* contingunt, curetque, vt omnia ſecundum ordinem et legem praeſcriptam fiant. Obedire ipſi debent mare et terra, aër, et ventus, quae omnia opportuniſſime attemperat rationibus illorum, qui lineam iuris ingreſſi, ſuum cuique tribuere, non eripere, felicitatemque generis humani ſtabilire, non deſtruere, geſtiunt. Haec enim eſt ipſa illa cuilibet connata naturae lex: *adimple voluntatem diuinam, et eris felix*, atque ita rectae rationis dictamen exequentes non poteſt non praemium, omnium bonorum cumulus, et adfluentia, manere: aſt ſecus, cum *latronibus gentium* incedentibus, procul dubio, ab irato et ſeuero omnis mali et iniuriae vindice, obuenturae ſunt, tam neceſſariae, quam arbitrariae, poenae. Aliqua ex parte videntur gentiles hanc manum diuinam agnouiſſe, quando *Rhadamanthum* quendam finxerunt, qui apud inferos iudex conſtitutus eum in finem eſſet, vt nemeſeos diuinae executor, iſtic tantum mali tribueret demortuis hominibus, quantum hi olim in viuis intuliſſent aliis, adeoque *talionem* ſacroſanctam rem eſſe, iudicarunt ſapienter. Interim vulgus imperitum, prima rerum ſpecie deceptum, nec curate ſatis, expendens cauſas et circumſtantias euentuum, mero ſolet attribuere caſui, cuius rei genuina, ſufficiens, et adae-

Digitized by Google

adaequata ratio longe aliunde, nempe ex limpidis et veris fontibus, erat arceſſenda. Equidem omnium ore circumferri ſolet vulgatum illud: *Fortuna volubilis errat, et nunquam conſtans, quam in leuitate ſua eſt.* Sed abſit inde elicuiſſe veterum illud conſectarium, quaſi fortuna ſaxo volubili inſtet, resque humanas rota quadam temere prorſus, ſurſum, deorſum, verſet. Potius ſi vulgatum illud: *rota voluitur*, adeo crude foret accipiendum, non vererer illud inter Theſſala commenta, et aniles fabulas, referre. Eſt enim demonſtratu in *genere* facile, quemlibet *fortunae ſuae fabrum fuiſſe*, et quamcunque aberrationem, poſitis ad agendum requiſitis, auxilianteque Deo, euitare eundem potuiſſe, licet in *ſingulis* caſibus, quorum cauſae ſaepe ſunt occultae, ſubſiſtendum, ac iudicium ſuſpendendum ſit, ſicuti CLAVDIANVS cecinit:

Saepe mihi in dubium traxit ſententia mentem
Curarent ſuperi terras, an nullus ineſſet
Rector, et incerto fluerent mortalia caſu.

At ſiniſtrum hocce omen, et infauſtum praeſagium, protinus vaneſcet in auras, quando animum noſtrum aduertimus ad aliud πολυθρύλλητον; *in fine videtur cuius tohi, et quomodo ille coronet opus.* Character hic eſt genuinus corruptae naturae, indolisque perverſae humanae, vt rerum *praeſentium* cura aciem ingenii perſtringat, indeque metiamur totius negotii exitum laetum, vel luctuoſum, neque adeo conſulamus in futurum. Praeſertim ſi *belli alea eſt iacta,*

iacta, hoc ipſum identidem vſu venit, ſiquidem nec inuicto robore, et infracta conſtantia, hiſce in fluctibus ſolemus, tramiti ſemel coepto inſiſtere, ac eo ipſo experiri, tandem aliquando nonne *bona cauſa* ſit triumphatura? Ne temere id dixiſſe videar, *tria* illuſtria et pulcherrimae inſpectionis exempla ſaltem, ad defendendum hanc theſin, in partes vocabo, vnde de ſimilibus ſimile, nullo negotio, ferri poterit iudicium. *Ludouicus XIV. Galliae Rex*, in eas ſuperiore ſaeculo anguſtias Belgarum *plebeculam*, vti ignominioſe ſatis, teſte *Perizonio*, eos adpellare ſolitus fuit, redegerat, vt idem meditarentur amplecti extremum, quod olim *Athenienſibus*, vltima a *Perſis* paſſuris, in mentem venit, ſcilicet, vt naues conſcenderent, relictaque *Europa*, in *Aſiam* migrarent, fixuri ſedem perpetuam fortunarum ſuarum in *Iaua* inſula. Sed idem ille populus Batauicus, imbellis, nullius pretii, ac tot tantisque copiis vel maxime impar tanto Regi viſus, ſubito vires reſtaurauit ſuas, gradum firmauit, ſuosque *agellos, et pauca latifundia*, aduerſus iſtius *irati victoris* validiſſimas vires, eſt tutatus, ac aequas ſatis in Nouiomagenſi pacificatione conditiones obtinuit. Miſſo hocce decantato exemplo, prouoco ad alterum, non minoris momenti factum. *Caroli V. Imperatoris* progreſſa ſemper *plus vltra* potentia, quantum ſui terrorem vbiuis circumtulit! quam funeſta et fatalis vniuerſae Haſſiae, eiusdemque praeprimis, magnanimo Principi PHILIPPO, inuictiſſimo Heroi, imo quam exitioſa toti *foederi Smalcaldico* fuit! Vix quisquam tamen, qui

qui vel primis labiis, rerum, tempore *religioſi belli* geſtarum, guſtauit hiſtoriam, praefracte negabit, poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina rerum, iuſtam noſtram cauſam in *transactione Paſſauienſi*, et *pace religioſa* triumphaſſe. Denique ſi quis belli *tricennalis* viciſſitudines paullo penitius contemplatus fuerit, prope obſtupeſcet, iuſto ſub clypeo, (ſiquidem religionis purae defendendae gratia, erant ſumta arma,) adeo ſuccubuiſſe ab initio *A. C. ſocios*, et praeſertim *Haſſos*, vt poſt publicatum A. 1629. *edictum reſtitutorium*, et *pacem Pragenſem* A. 1635. conditam, de ſalute eorum actum, et quaſi in necem coniuratum videretur. Et tamen *hi* inter ferales iſtas anguſtias deprehenſi, Deo confiſi, inuictam ſeruarunt conſtantiam, nec animum deſpondentes, victas praebuere manus, nec quaſi ſuae *libertatis ciuilis et religionis* pertaeſi, iugum ſeruitutis ſibi imponere ſunt paſſi. Vnde tandem aliquando in *P. O. art.* 15. voti ſui compotes facti, omni iure ſibi debitam ſatisfactionem impetrarunt. Quae omnia, praeſertim vero quomodo inuidorum quorundam peruerſae machinationes et molitiones, aequas iuſtasquae eorundem petitiones, eludere ac elidere coeperint, copioſius collectores *actorum iſtius pacis*, et inter eos *Pfannerus*, oſtendunt. Sed ſatis de hoc inſtituto; ſaltem iuuabit, ad trigam horum exemplorum, adplicare, *Furii Camilli* allocutionem populi Romani, dicentis: *intuemini horum deinceps annorum vel ſecundas, vel aduerſas res. Inuenietis omnia proſpere eueniſſe ſequentibus Deos, aduerſa ſpernentibus*; indeque concludere, non

eſſe

Digitized by Google

eſſe praeſumtae mentis, definire, quem ſibi finem DEI ſumma ſapientia ſtatuerit. Quia tamen prudenter ſatis *Baudius in induciis Belgicis* iudicauit, *non eſſe euentui ſemper credendum, qui plerumque ei victoriam addicere ſolet, vnde ius ſtabat, nec tamen perpetuo id ſic ſe habet, moderante rebus humanis diuina prudentia, cui ſua conſtat ratio, tametſi nulli reddatur:* intereſt, vt vel verbulo diſpiciamus, cur haec vel illa *victrix* cauſa Diis placuerit, *ſed victa Catoni*, et quae aliquando cauſa ſubſit proſperi ſucceſſus iniquarum molitionum. Lubet vero eandem potius conſummatiſſimi, et poſt fata etiam non ſatis laudandi ICti *H. a Coccei*, quam meis verbis, adducere in medium, atque eum in finem ex eiusdem *Diſſ. de iuſto praeliorum exitu ſect.* 2. *et ſeq.* ad IV. haſce poſitiones prouocare, 1) *ſi bellum ſine agnitione ac reuerentia Numinis diuini ſuſcipitur*, 2) *ſi non debita in eo gerendo fuit diligentia*, 3) *ſi temere ab infirmo laeſo Principe contra potentiſſimum hoſtem indicitur*, 4) *ſi Deus impietates ac delicta bello punit.* Poſitis hiſce generalibus principiis ex *iuſtitia gentium* depromtis, ad ſingularia mihi deſcendendum foret exempla, quibus colluſtrari ac meliore luce donari poſſint eadem. Sed praeſentis inſtituti ratio, vt in latiſſimo hocce campo vela contraham, eademque in opportuniorem diſferam occaſionem, poſtulare videtur. Saltem liceat cum *Grotio de I. B. et P. inf.* votiuam ſuſpendere hancce tabulam, optareque omnibus ac ſingulis ſummis imperantibus, *mentem iuris diuini humanique intelligentem, vt ne pro foedere, proque iuſtitia ſaltem ſit enſis*,

Digitized by Google

enſis, nec quaeratur belli exitus, ſed cauſa. His praemiſſis pergimus ad vitae curriculum

Doctiſſimi Domini Candidati

IOH. HENRICI FRIDERICI STEVBERI,

Cuius Summe Reuerendum Patrem non ita pridem rebus humanis ereptum eſſe, nos, non Academiae tantum, et Eccleſiae, ſed et noſtra cauſa, vere dolere, haud diſſimulanter profitemur. Audiamus Praenobiliſſimum Candidatum de ſe ipſo ſic narrantem:

Natus ſum Rintelii a. d. III. Iun. cIↃ IↃCC XXIII. Patre IOH. ENGELHARDO STEVBERO S. S. Theol. D. et Profeſſore primario, Philoſophiae vero ordinario, Eccleſ. Schauenburg. Superintendente, et ſacri Synedrii Aſſeſſore, aliquot ante menſes praematura eheu! morte nobis intercepto. Matre FRIDERICA ELISABETHA, Nobiliſſimi et Ampliſſimi Viri IOHANNIS GOY, Conſulis atque redituum Praefecti, et ANNAE CATHARINAE HEYSERIAE Filia, quam vnicum nobis ſolatium relictam, DEVS O. M. diu ſaluam ac incolumem ſupereſſe iubeat. Hi nihil vnquam praetermiſerunt optimi Parentes, quod ad ſalutem meam pertinere videretur; ideoque me idoneis ingenii formatoribus, et praeceptoribus virtutis, in tutelam

Digitized by Google

veluti tradiderunt, a quibus et chriſtianiſmi et bonarum artium principiis imbuerer. Primus inter eos, quos domi aluerunt, fuit SANDERVS, quondam Paſtor Cathernhagenſis in dioeceſi Schauenburgica, nunc beatis adſcriptus. Cui ſucceſſit IVNGHENIVS Marpurgenſis Paſtor meritiſſimus: quorum, vti et B. Profeſſoris BEHRENSII, Conrectoris BöDEKERI, Paſtoris hodie Deckbergenſis fideliſſimi, et, quantum ad calligraphiam, Cantoris Dn. WIGANDI fidem, atque in me erudiendo diligentiam agnoſco, et libenter praedico. In primis autem contigit mihi admodum iuueni Excell. FVNCCII, Eloq. Hiſt. et Polit. Prof. celeb. Cognati mei aeſtumatiſſ. doctiſſima inſtitutione frui, cuius vt et Cel. BIERLINGII manuductione felici tantum in humanitatis et hiſtor. ſtudio profeci, vt A. cIↄIↄccxxxvIII. Pro-Rector. Acad. Magnifico eodem ante laudato BIERLINGIO Ciuitatem academicam in hac ipſa Muſarum ſede, quam Deus fortunet! obtinuerim. Ab eo inde tempore per aliquot annos recitationibus, eloquentiae tradendae cauſa inſtitutis Celeb. FVNCCII, non ſine ſumma animi voluptate me intereſſe memini, id quod grata mente profiteor: eiusdemque Viri ſuaſu et auctoritate comparatae in dicendo facultatis ſpecimen publice edere non dubitaui, atque ſollemni oratione anno cIↄ Iↄcc XXXII. recitata, Rintelium *felicem Muſarum Sedem* commendaui. In Philoſophia et Hiſtoria ducem praecipue ſecutus ſum Celeb. BIERLINGIVM; cuius erga me humani-

Digitized by Google

manitati laude digniſſimae et hoc debeo, vt ipſo praeſide diſſertationem de gradibus veritatis mihi publice anno clↄ Iↄ cc XXXXI. diſputare licuerit. His quidem ſcientiis imbutus ad illam eruditionis partem acceſſi, cui me deuouere, in qua veluti vitae tabernaculum conſtituere, animus erat. Nimirum in iurisprudentiae ſtudio, tum B. BECKERVM, Iinſtitut. Imper. et trituram forenſem, tum et Ampliſſimum ac Conſultiſſ. WOLFFHARDTVM, I. V. D. et Prof. Celeb. Inſtit. Imper. explicantem, audiui. Praecipue autem Academiae huius Seniorem FRID. VLR. PESTEL, I. V. D. et Prof. primar. ad omnes iuris partes commentantem adii, ipſiusque, ius N. Inſtitut. Imper. Struuii iurisprud. digeſta, ius canonicum, feudale, publicum et Ludouic. intr. ad pr. for. interpretantis, per aliquot annos, non ſine fructu interfui recitationibus. Quibus quidem viris, me maximam partem eorum, quos in iure feci, progreſſuum, debere prae me fero, palamque profiteor. Cum autem e re videretur, vt praeter patriam in alia Academia aliquamdiu verſarer, Marburg. Cattor. iui a. clↄIↄccxxxxv. Ibique Viro Illuſtri et Ampliſſimo ESTORI et innotuiſſe, et ius Germ. Heinecc. ac Struuii ius feud. et *Moſeri I. P.* explicanti, operam dediſſe mihi gratulor. Inde domum reuerſus Excellentiſſimorum praecepta Doctorum priuata induſtria excolui, dum res poſtulare viſa eſt, vt et publice de profectibus meis in iure conſtaret: atque eo quidem conſilio ab Illuſtri

ICtorum

ICtorum Ordine humaniſſime atque ea, qua decet, obſeruantia petii, vt me ad examen, quod vocant, publicum admittere non grauetur.

Fiet die huius Menſis 18. voti ſui compos, eodemque ab hora matutina VIII. vsque ad XII. praemiſſo tentamine examen rigoroſum ad ductum L. 51. *de donat. inter vir. et vxor. ac cap.* 2. *X. d. ſponſal.* ſubibit. Ad quem actum ſollemnem omnes et ſingulos, qui ſtudiis noſtris bene cupiunt, praeſertim Commilitones noſtros, ea, qua par eſt, inuitamus humanitate.

Publ. ſub Sigillo Facultatis d. XIV. Martii cIↄ Iↄcc XXXXVIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google